



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De clericis fugitiuis, ne ab aliis recipiantur. cxxxviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Vt illi quibus vxores ducere licitum non est, aliorum nuptias deuent. Cap. CXXXII.

Ex epist. Leonis papa, ca. 10 **Q**VIBVS licentia vxores ducendi non est, alienarum nuptiarum euitent conuiuia.

Quod non oporteat in bigami nuptijs prandre presbyterum. Cap. CXXXIII.

Ex concil. Neocaesarea, ca. 7. **P**resbyterum in nuptiis bigami prandre non conuenit: quia cum poenitentia bigamus egeat, quis erit presbyter, qui, propter conuiuium, talibus nuptiis possit praebere consensum?

De eadem re. Cap. CXXXIII.

Ex dictis August. **P**resbyteri, diaconi, subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi vxores non est licitum, etiam alienarum nuptiarum euitent conuiuia, neque his coetibus admisceantur, ubi amatoria cantantur & turpia, aut obsceni motus corporum choris, & saltationibus efferuntur: ne auditus & obtutus sacris mysteriis deputatus, turpium spectaculorum, atque verborum contagione polluat.

De eadem re. Cap. CXXXV.

Ex decre. Martini papa, ca. 1. **N**ON liceat sacerdotibus, vel clericis aliqua spectacula in nuptiis, vel conuiujs spectare, sed oportet antequam ingrediantur ipsa spectacula surgere, & redire inde.

Vt nullus clericus in aliena ciuitate suscipiatur sine commendatitijs epistolis. Cap. CXXXVI.

Ex canone apostolico. **V**T si quis clericus aut laicus ad alteram properauit uitam, & suscipitur praeter commendatitias epistolas, & qui susceperit, & qui susceptus est, communicatio priuetur.

De eadem re. Cap. CXXXVII.

Ex concil. Antioch. cap. 27. **N**ulli peregrinorum sine pacificis, id est, commendatitijs suscipiantur epistolis.

De clericis fugitiuis, ne ab alijs recipiantur.

Ex concil. Aurelia. cap. 3. **I**N concilio Antiocheno simul & in Chalcedonensi praecipitur, ut fugitiui clerici & peregrini a nullo recipiantur, nec ordinentur, nisi cum commendatitijs literis, sui episcopi vel abbatis licentia.